

fumtus, confortandi fine, confert. Ex cereuisia collectae cruditates in primis uis haerentes secundum earum indolem corrigendae sunt. Acido uiscosae cruditates per absorbentia, aromaticis temperatis mixta, tolluntur. u. gr.

℞. *Lap. Cancr. ppt.* ʒ ij.

*Conchar. ppt.*

*Pulv. stomach. B. aa.* ʒj.

℞. *destil. citri gtt.* ij.

M D S.

Säure-dämpfendes Pulver, davon ein halb Quint zu nehmen.

Correctae cruditates euacuandae sunt, per leniora emetica, (si nulla adsit contraindicatio) u. gr. ℞. *Rad. Ipec. gr.* xv. *Tartari Vitriolat. gr.* v. *Tartari emetic. gr.* j. *M. pro Dos.* aut purgantibus, e. gr. ℞. *M. P. rum. catholic. extract. panchym. Cr. aa.* gr. viij. *resin. ialap. nucl. pineis prob. subact. gr.* jv. *M. f. Pil. No. xx. in Or. D. pro Dos.* Expurgatis cruditatibus laudabilis alimentorum digestio promouenda; hinc *elix. bals.* supra laudata aliaeque *essent. stomachicae* in usum uocandae sunt. Cereuisiae spirituosae in eo cum uino conueniunt, quod ebrietatem inferunt, in qua nihil melius ordinari poterit, praeter requiem et tenue infusum ex herba Thea paratum, temperantibus intermixtis. Per transpirationem enim insensibilem *Gas syluestre* uini, uti HELMONTIANI loqui amant, optime e corpore exterminatur. Idem ualet in nimio potu spirituosorum potuum. Ceteras circumstantias prudenti consilio Medici relinquam.

SOLI VERO TRIVNI DEO SIT LAVS ET GLORIA!

F I N I S.

p. 14. l. 4. pro uentus, leg. uenti.

p. 15. l. penult. pro rupis, leg. rupibus.

NO.